

Iosophus, quæcunque sit attractionis causa, quam deinde variis in locis data occasione expendemus. Hæc doctrina mortalibus omnibus tandem ignota a Newtono tandem admirabili quadam felicitate in bono lumine collocata est. Extiterant sane qui ante ipsum attractionem nominarent, Keplerus qui motuum cælestium leges felicissime detexit, earum causas per *magnetismum* quemdam explicare conatus est. Verum quæ hac de re protulit tam incerta ratione deducta sunt & plerumque etiam ita sunt absurda, ut cum iis comparata quæ Newtonus certissima methodo invenit, pro nullis omnino haberi debeant. Hinc Newtonianæ doctrinæ parum doctos sese probant aliqui philosophi qui haud satis æqui rerum æstimatores inventionis gloriam hac in re Newtono eripere conantur.

Obijcies: attractionis universalis doctrina maxime innititur primæ Kepleri lege, quæ nempe statuitur planetas primarios circa solem, secundarios circa primarios areas temporibus proportionales describere, atqui lex illa nequaquam observatur, immo attractionis doctrinæ repugnat omnino. Et quidem in motibus Jovis, & Saturni demonstrant observationes astronomicæ variationes plurimas quæ areas temporibus proportionales maxime perturbant. Tot mutationibus obnoxii sunt lunares motus ut nulli fere legi subjiciantur, easdem mutationes patiuntur satellites Jovis. Ergo &c.

Resp. Distinguo min. Lex illa non observatur *accurate*, concedo min. *quamproxime*, nego min. & consequ. &c. quidem vera  
erro-